Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

eos ab invicem sicut pastor segregat oves ab edis. Et statuet oves quidem a dexteris suis. edos autem a sinistris. Tunc dicet rex his qui a dexteris eius erunt Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare. Sitivi et dedistis mihi bibere. hospes eram et collegistis me. nudus fui et operuistis me. Infirmus fui et visitastis me. In carcere eram et venistis ad me. Et tunc respondebunt ei iusti dicentes. Domine. quando te vidimus esurientem et pavimus te. et sitientem et dedimus tibi potum. Quando autem te vidimus hospitem et collegimus te. aut nud. et cooperuimus te. aut quando vidimus te infirmum. aut in carcere et venimus ad te. Et respondens rex dicet eis. Amen dico vobis. quam diu fecistis uni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis. Tunc dicet rex his qui a sinistris eius erunt. Discedite a me maledicti in ignem eternum qui paratus est diabolo et angelis eius. Esurivi enim et non dedistis mihi manducare. Sitivi et non dedistis mihi bibere. hospes eram et non collegistis me. nudus fui et non cooperuistis me. Infirmus et in carcere fui et non visitastis me. Tunc respondebunt ei et ipsi dicentes. Domine quando te vidimus esurientem aut sitientem. aut hospitem aut hospitem. aut nudum aut infirmum. vel in carcere et non ministravimus tibi. Tunc respondebit illis dicens. Amen dico vobis quamdiu non fecistis uni de minoribus his. nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium eternum. iusti autem in vitam eternam.

XXVI

Factum est cum consummasset ihesus sermones hos omnes dixit discipulis suis. Scitis quia post biduum pascha fiet. et filius hominis tradetur ut crucifigatur. Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum qui dicebatur caiphas. et consilium fecerunt ut ihesum dolo tenerent et occiderent. Dicebant autem non in die festo. ne forte tumultus fieret in populo. Cum autem esset ihesus in bethania in domo simonis leprosi. accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi. et effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli indignati sunt dicentes ut quid perditio hec. Potuit enim istud unguentum venundari multo. et dari pauperibus. Sciens autem ihesus ait illis. Quid molesti estis huic mulieri. Opus enim bonum operata est in me. Sa

semper pauperes.